



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 31. Fœdus Papam inter & Valentini Ducem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

copi precibus: quapropter Angli hanc Regis sui prærogativam jussu Pontificis debebant, eum non nisi Angliæ Regem, ac Hiberniæ Ducem appellantes, cujus rei instrumentum publicum Episcopus confestim confici præcepit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1503.

§. XXXI.

*Fœdus Papam inter & Valentini Ducem.*

Quamvis Pontifex cum Valentini Duce concordiæ pacta iniisset, totus tamen in eo fuisse videtur, ut illius auctoritatem, viresque frangeret, ac Romanolam, cujus complures urbes post Alexandri VI. obitum Veneti occupaverant, recuperaret: Hæc enim Respublica imperii sui fines protendere unice intenta nil antiquius habuit, quam variis prætextibus studiose quæstitis totam hujus Provinciæ partem sibi subdicere, quamvis præter urbes, quas jamjam possidebat, ad ceteras nullum ei jus suffragaretur; cum vero Valentinus Venetorum potentiæ solus resistendo impar esset, utpote Alexandro ejus Patre fati functo Sedis Apostolicæ præsidio, ac ope destitutus, necnon a potentioribus amicis derelictus, atque a propriis suis clientibus proditus, cum Julio II. in gratiam redire conatus est, data fide, se eidem cunctas

Marian. l. 28  
n. 47.

**Sæcul. XVI.** cunctas Romandiolæ urbes, quæ illi ad-  
**A.C. 1503.** hucdum parerent, redditurum. Ergo  
 pactileges firmantur, & Julius Papa, con-  
 sentiente Valentini Duce, Carolum Mo-  
 schiavellum suum a cubiculis Ministrum,  
 & Petrum de Oviedo cubiculi Præfectum,  
 olim Ducis famulum ablegat, plena au-  
 thoritate, ac mandatis instructos, vi quo-  
 rum hic, ut Forum Livii, & ille Ce-  
 senam occuparent, & utriusque possessio-  
 nem acciperent, dato etiam ambobus  
 negotio, ut harum urbium Gubernato-  
 res ad illas nulla mora summo Pontifici  
 reddendas compellerent.

## §. XXXII.

*Valentini Ducis perfidia.*

*Marian. ib.* Verum Dux, inconstantis ac turbulenti  
 animi Princeps, vix pacta cum Julio  
 inita firmabat, cum eum jam amarior  
 facti poenitentia subiret, unde nil intentat-  
 tum reliquit, ut quovis modo datam fi-  
 dem eluderet. Ergo clam ad Didacum  
 Quignonez Cesenæ Gubernatorem lite-  
 ras misit, præcipiens, ut Petrum Oviedo  
 a Pontifice nuper ablegatum caperet, ac  
 laqueo necaret. Quignonez, Domino suo  
 nec malitia, nec audacia inferior, Ducis  
 iussa iniqua prorsus fidelitate exequitur.  
 Post hæc Moschiavellus die nona De-  
 cembris Romam redux Pontifici retulit,  
 quod